



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Julianus Conf. 12. Feb.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

**Q**uoties dum hostem petit, se fauciat  
 & suos ira! Domo aberat JULIA-  
 NUS, familiam conjuge curante. Inte-  
 reà parentes adsunt, & quem puerum  
 amiserant, filium quærunt. Heu quàm  
 præstabat nunquam invenire! At con-  
 jux gratulata sibi, quòd benefacere et-  
 jam absenti JULIANO in parenti-  
 bus posset, humanissimis verbis hospi-  
 tes salutat, epulo lautissimo excipit, ab  
 epulo in suo thalamo molliter locat,  
 nescios funebrem se lectum conscende-  
 re. Et fortè jam filium somniabant:  
 cum ecce adest hic, & ubi primum à ge-  
 minis premi lectum videt, sive nox, si-  
 ve thori violati suspitio oculos fascina-  
 verat, præcipiti vindictâ utrumque ferro  
 trajicit, lectumque dum ab adulterio  
 purgare parat, ah! paricidio maculat.  
 Mox uxor superveniens, & dies facinus  
 monstrant. Hic demum JULIANUS  
 non longius fugisse se parentes ingemif-  
 cere; acculare paricidas manus; ultrò  
 omnes culeos advocare, denique cogita-  
 re, quî nefas tantum seriò in se castiga-  
 ret. Longum supplicium placuit. Xeno-  
 dochium propter fluminis ripas constru-  
 xit, rectius in hoc hospites pauperes ac-  
 cepturus, omniumque ipse bajulus per un-  
 das futurus. Et fuit cum leprosi formam  
 Chri-

13. Feb. VITÆ SANCTORUM. III  
Christus induit. Hunc cum JULIA-  
NUS transportatum foco fovisset rigen-  
tem, mensâ esurientem, & suo lectulo  
dormiturentem, ecce paricidii veniam  
manifestus, vel dedit, vel olim datam  
nuntiavit. Perrexit tamen ille operam  
suam eò studiosius probare, quo hospiti-  
bus nobilioribus jam frequentari ædes  
videbat. Ex Petr. de Natal.

*Ille viam Domino suo parat, qui luxu-  
riantis carnis respuens voluptates, tota  
mentis suæ spiritu suspensus ad Deum vi-  
gore se castitatis accingi: optimam parat  
Domino viam qui cogitationes suas avari-  
tæ fluctibus æstuentes serenæ conscientia  
tranquillitate compescit. S. Max. hom. de  
S. Joan.*

S. MARTINIANUS C. 13. Feb.

Vitam solam MARTINIANUS agere  
cœpit octo & decem annorum ado-  
lescens. Dæmon malus ejecturus statio-  
ne suâ militem, veteris serpentis exuvias  
induit. Sed nihil nisi risum retulit, quo  
meritò humi eum repere post casum  
tam altum dixit. Quid ageret victus  
serpens? ut virum decipiat, iterum mu-  
licrem subornat. Adest hæc panniculis  
involuta, & velut à viâ exerrasset, ma-  
gnis ejulatibus, ne in pabulum feris ce-  
dat, id noctis hospitium orat; aperit  
MARTINIANUS à feris feminam  
defen-